

www.e-rara.ch

Cursus philosophicus monasterii S. Galli

Sfondrati, Celestino

[St. Gallen], anno 1741

Zentralbibliothek Zürich

Shelf Mark: RRM 234

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-30930>

Sectio VII.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

SECTIO VII.

De Stellis, & Planetis.



Ondum è Mundo hoc superiore, diutiùs licet morati, descendimus, vel ex ipsa mora morandi ampliùs crescente desiderio; iterum ergò, iterumque capacissimum hoc felicitatis futuræ atrium,

Lucentemq; globum Luna, Titaniâque Astra singillatim etiam obambulare allubescit, & animis quidem, non pedibus, aut equis, tantòque minori cum periculo, quàm olim Phaëton, aut Vulcanus iter hoc ingressi; ille enim orbem per imprudentiam incendit, hic verò crus ex graviore lapsu confregit, altero etiamnum pede claudus. Id autem vel maxime cavebimus, ne, dum orbes hos Planetarios, sidereòsque peragramus, in errores Antiquorum, toto ferè Cœlo aberrantium, proruamus, quorum alij hæc *Astra* glebas, aut globos quosdam terrestres, alij aëreos, alij totidem mundos, frugum, hominùmque feraces esse, volebant, digni, qui Gentilium ritu inter *sidera*, sin minus *fixa*, *erratica* saltem referantur; quid? quòd solem hunc carbonem succensum, aut laminam candentem nonnulli finxerint, ut mirum sit, ad ipsam
lu-

lucem meridianam cæcutiſſe, vespertilionibus certè, quàm aquilis ſimiliores, nec tam cœlo, quod Anaxagoras de ſe jaſtare vaniſſimè ſolebat, quàm è cœno natos crederes. Miſſis proinde tum his, tum alijs Veterum erroribus, *Stellarum, ac Planetarum naturam, numerum, proprietates, & influxus in unico quaſi oculorum ictu contemplabimur.*

Quæſtio I.

*Quid, & quotuplicis generis ſint
Stellæ? quis earum Ortus,
& Occaſus, aliæq³ Pro-
prietates?*

S U M M A R I A.

1. *Stellæ à ſuo orbe ſubſtancialiter non differunt.* 2. *Aliæ ſunt fixæ, aliæ errantes.* 3. *Ortus, & occaſus ſtellarum varius.* 4. *Exponuntur aliæ ſtellarum proprietates.* 5. *Diluitur objectio.*

R Eſol. 1. *Stellæ non differunt ſubſtancialiter à ſuo orbe, cui inſiguntur, ſed nihil aliud ſunt, quàm partes quædam cœli magis denſæ, & magis lucidæ; lucem enim, & alias qualitates viſibiles in denſo augeri, patet ex glacie, cryſtallo, gemmis &c.*

Ratio eſt ; *Tum* quia *ſtellæ* non habent alium motum , à motu ſui orbis diſtingtum ; *tum* quia nulla eſt neceſſitas diſtinguendi ; varietas enim effectuum , qui in *ſtellis* deprehenduntur , æq; à cœlo , ac *ſtellis* provenit , ſed à *ſtellis* perfectiùs , quia lucidiores , & denſiores : & in uno animali unica eſt forma , ſeu anima , & tamen cor calefacit , cerebrum humectat &c.

2. *Reſol. 2.* Duplicis generis ſunt *ſtellæ* ; aliæ enim ſunt *fixæ* , aliæ *errantes*. *Fixæ* dicuntur , quæ licet moveantur , ſemper tamen eandem inter ſe diſtantiã ſervant. *Errantes* (quæ etiam *planetæ* vocantur) ſunt , quæ nec inter ſe , nec cum *fixis* eandem ſemper diſtantiã habent , ſed aliquando ſunt propinquioreſ , aliquando remotioreſ , nunc illi , nunc iſti ſe adiungunt. *Stellæ fixæ* ſcintillant , & per hoc diſtinguuntur à *planetis* , qui propriè non ſcintillant. Ratio ſcintillationis eſt , quòd *ſtellæ fixæ* plurimùm à nobis diſtent , & ideò radium debilem mittant , qui , aère , & ſubjectis vaporibus exceptus , facile cum aère hàc illàc movetur : quando verò radius fortior eſt , aerem ſecat , & diſſipat , & ideò hàc illàc ab aère jactari non poteſt ; ſimile quid in flamma videmus , quæ quò debilior eſt , eò magis à recta linea exorbitat , & velut palpitare videtur.
- Stel-*

Stellarum fixarum, quæ oculis commodè notari possunt, numerus est 1022. & hæc dividuntur in figuras, seu asterismos 48. quarum aliæ sunt Australes, aliæ Boreales, aliæ vernæ, aliæ æstivæ, autumnales, hyemales &c. Signa quoque Zodiaci dividuntur in 4. trigonos; ignei trigoni *Signa* sunt *Aries*, *Leo*, *Sagittarius*: terrei trigoni *Taurus*, *Scorpio*, *Capricornus*: æerei trigoni *Gemini*, *Libra*, *Aquarius*: aquei verò trigoni *Virgo*, *Cancer*, *Pisces*. In hyeme plures *stellæ*, quàm æstate videntur: tum quia sol noctu remotior est, & ita, quod aer est obscurior, *stellæ* eò magis fulgent; tum quia aer magis est vaporibus obsitus, ex quibus *stellarum* refractionis contingit; non ergò plures sunt *stellæ*, sed plures *stellarum* refractiones, & ita fallitur visus.

Stellæ errantes, sive planeta sunt 7. videlicet *Luna*, *Mercurius*, *Venus* (manè antecedens Solem vocatur *Lucifer*, vespere verò sequens *Hesperus*) *Sol*, *Mars*, *Jupiter*, *Saturnus*.

- 3 Resol. 3. Ortus, & occasus *stellarum* aut est *Cosmicus*, aut *Chronicus*, aut *Heliacus*, aut *Astronomicus*.

Ortus Cosmicus est, quando *stellæ* cum sole, aut paulò post, Horizontem conscendit. *Occasus Cosmicus* est, quando *stellæ*, sole oriente, ex adversa parte occidit.

Ortus Chronicus eſt, quando *ſtella ſole* occidente aſcendit ſupra *Horizontem*.
Occaſus Chronicus eſt, quando *ſtella* cum ſole occidente occidit.

Ortus Heliacus eſt, cùm *ſtella*, è ſolis luce emergens, iterum incipit videri. *Occaſus Heliacus* eſt, quando *ſtella* in radios ſolis immergitur, & incipit latere. Pro quo *Ortu Heliaco* obſerva ſequentem tabulam.

<i>Stella primæ magnitudinis</i> emergunt,	
cùm à ſole remotæ ſunt	- Grad. 12.
<i>Secundæ magnitudinis</i>	- Grad. 13.
<i>Tertiæ magnitudinis</i>	- - Grad. 14.
<i>Quartæ magnitudinis</i>	- Grad. 15.
<i>Quintæ magnitudinis</i>	- Grad. 16.
<i>Sextæ magnitudinis</i>	- - Grad. 17.
<i>Septimæ magnitudinis</i>	- Grad. 18.

Ortus denique, & *Occaſus* *Aſtronomicus* eſt aſcenſus, vel deſcenſus *Zodiaci*. *Zodiacus* verò tam in *ſphæra recta*, quàm in obliqua non aſcendit omni tempore æqualiter; quamvis enim quâlibet die, tam hyeme, quàm æſtate, media pars *Zodiaci* ſupra *Horizontem* aſcendat, hoc eſt, 6. *Signa*: hic tamen aſcenſus eſt obliquus, hoc eſt, jam magis ad noſtrum *Polum* accedit, jam minus, & ideo in aliquibus regionibus majores dies, in aliquibus minores ſunt; ſecus eſt in *Æquatore*; hic enim

enim in omni sphæra, tam obliquâ, quàm rectâ æqualiter à Polis distat, & ideò in omni regione, omnique tempore omnes ejus partes æqualiter super Horizontem elewantur, singulis videlicet horis 15. ejus gradus elewantur, & totidem occidunt, quæ omnia in globo materiali ad oculum demonstrantur.

- 4 Resol. 4. Multæ aliæ sunt *stellarum* proprietates, ut *longitudo*, *latitudo*, *altitudo*, *declinatio*, *magnitudo*, *motus*, *lux*.

Longitudo stellæ dicitur distantia *stellæ* à primo gradu Arietis procedendo ab Ortu in Occasum.

Latitudo est distantia *stellæ* ab ecliptica versùs alterutrum Polum.

Altitudo est ejus elevatio supra Horizontem.

Declinatio est ejus recessus ab Æquatore versùs alterutrum Polum.

Magnitudo stellarum ex sequenti tabula constat.

Stellæ primæ magnitudinis numero 15.
terram superant - - - 107.

Secundæ magnitudinis numero 45. 86.

Tertiæ magnitudinis numero 205. 72.

Quartæ magnitudinis numero 477. 54.

Quintæ magnitudinis numero 217. 31.

Sextæ magnitudinis numero 49. - 18.

His addiderunt nunc Astronomi 14. alias,

licet minùs distinguibiles, reliquas usui suo inutiles neglexerunt. *Stellarum* longitudo, & latitudines videri possunt in tabulis Clavij à f. 168.

Stellarum motum quod attinet, eæ ad motum suorum orbium moventur, ut clavi in rota, aut gemma in annulo: non verò moveri *per se*, cœlo quiescente, patet *tum* ex dictis; *tum* etiam, quia *stellæ* fixæ, quæ nobis oriuntur, & occidunt, eandem semper distantiam inter se servant, nec una aliam antecedit, quod tamen fieret, si suis orbibus infixæ non essent; tunc enim necesse foret, unam *stellam* esse aliâ velociorem, & præsertim majores minoribus, & ita una aliam subinde præcederet: *stellæ* etiam polares, quæ Polo viciniores sunt, minores circulos describunt, quæ remotiores, majores, servatâ eâdem semper distantia, æqualitate, & tempore, ita videlicet, ut, quæ majores circulos describunt, eodem tempore suum motum absolvant, quò absolvunt, quæ minorem circulum, & brevius curriculum peragunt, quod certissimo argumento est, *stellas* suo orbi affixas esse, & ad ejus motum circumvolvi.

Lucem *stellarum* esse accidens, non substantiam, omnino certum est; nam & immediate sub visum cadit, & intenditur,
ac

ac remittitur, ac denique penetrat per corpora solida. Vide S. Thomam 1. p. q. 67. a. 3. qui etiam S. Doctor in 4. dist. 44. a. 4. docet, omnem *lucem* naturalem esse ejusdem speciei, cum eodem modo oculum immutet. Cæterum *stellæ* non suâ luce, sed solis lucent, quod de luna apertum est, quæ, prout variè ad solem accedit, receditque, variè etiam illuminatur, & cum terra solis irradiationem impedit, omnino eclipsin patitur; *planetæ* quoque soli propinquiores, ut Mars, & Venus, magis, quàm alij *planetæ*, fulgent, & ideò sol medium locum inter *planetas* tenet.

5 Dices: Cur ergò *planetæ* non eandem *lucis* mutationem accipiunt, quam luna, si tantum à sole lucent? cur nunquam à sole eclipsantur?

Resp. Quia causa eclipsis est umbra terræ, quæ ad cœlos planetarios non pertingit, multoque minùs ad firmamentum. Luna quoque à parte rei semper à sole secundum mediam partem globi illuminatur, quæ soli obvertitur, adeoque semper est plena; nos autem non semper mediam ejus partem illuminatam videmus, tum ob diversam habitudinem lunæ ad solem: tum ob diversum situm, quem nos in terra respectu lunæ fortimur; in alijs verò *stellis* hæc diversitas facierum, & luminis

non apparet: *tum* quia altiores sole, & ita semper illuminantur ex ea parte, quâ nos spectant: *tum* quia respectu nostri valde exiles, & ita nec situm respectu nostri sensibilibiter mutant, nec partes obscuræ nobis apparent. In Venere tamen, & Mercurio idem, quod Lunæ, incrementum observatum est beneficio telescopij. Sic etiam, licet Venus aliquando inter nos, & solem obijciatur, solem tamen non obscurat, quia circulus visualis solis habet ad circulum visualem Veneris proportionem centuplam; ergo centuplam tantum solis partem obscurat, quæ proinde eclipsis vix est sensibilis.

Quæstio II.

Quæ sit Solis, Luna, & reliquorum Planetarum magnitudo, distantia &c.?

S U M M A R I A.

1. Solis magnitudo, distantia, & alia quædam referuntur. 2. Luna quoque magnitudo, distantia, ætates, motus &c. expenduntur. 3. & 4. Reliquorum planetarum magnitudo, & nonnulla alia scitu digna recensentur.

Re-

RESOL. I. *Sol* eſt major terrâ vicibus 166. Diſtat à terræ centro milliaribus Germanicis 1012868. juxta calculum Keckermanni. Circa ejus ſitum, motum, ortum, occaſum &c. hæc veniunt obſervanda.

1. *Sol* poſitus eſt in medio *planetarum*: hyeme eſt terræ vicinior, quàm æſtate, & tamen æſtate magis calefacit; quia magis perpendiculariter radiat, & ita radij, in ſe reflexi, duplicantur.

2. Movetur in ſuo excentrico ſecundùm ſucceſſionem Signorum ab Occaſu in Ortum ſpatio dierum 365. & horarum 6. & ita motu proprio ſingulis diebus in Zodiaco percurrit ferè 1. gradum, hoc eſt, minuta prima 59. & aliquot minuta ſecunda, videlicet 8.

3. Nunquam deſleſcit ab ecliptica: ab Aequatore autem, cùm maxima eſt ejus declinatio, gradibus 23. & 30. minutis.

4. Vicinior eſt terræ, quando verſatur circa ſuum perigæum, hoc eſt, quando verſatur in puncto, & loco inferiore ſux ſphæræ, quod fit tempore hyberno, præſertim menſe Decembri. Remotior eſt à terra, quando eſt in apogæo, & ingreditur gradum 6. Cancrī, quod fit in Julio.

5. Quando *ſol* movetur in plaga mundi Septentrionali, quod fit æſtate, *ſol* longè tardiùs movetur, quàm in plaga mundi

S 5

Me-

Meridionali; ab *Æquinoctio* enim autumnali uſque ad *Æquinoctium* vernum, hoc eſt, à *Libra* uſque ad *Arietem* *ſol* movetur diebus 178. ab *Ariete* verò uſque ad *Libram* per *Signa Borealia* diebus 187. quod quidem non ideò fit, quaſi motus *ſolis* ex ſe jam ſit velocior, jam tardior, eſt enim æqualis: ſed quia arcus *ſolis* excentricus, reſpondens *Signis Meridianis*, eſt minor, quam arcus *ſolis* excentricus, reſpondens *Signis Borealibus*, de quo vide *Clavium in ſphær. f. 506.*

6. *Sol* bis tantum in anno oritur, occiditque medio inter Meridiem, & *Boream* loco, & æqualiter ab *Æquinoctio* diſtante, videlicet die æquinoctij verni, & autumnalis. Totà æſtate tamen *ſol* oritur loco, ab *Æquatore* verſus *Boream* diſtante, quam vocant æſtivam amplitudinem, quæ tempore ſolſtitij æſtivalis maximè ab *Æquatore* declinat.

7. *Sol* & auget, & comprimit ventos: auget exoriens, occidensque: comprimit meridianis æſtivis temporibus, itaque medio diei, aut noctis plerumque comprimuntur, quia aut nimio frigore, aut æſtu ſolvuntur.

2. Reſol. 2. *Luna* minor eſt terrâ 39. aut ſecundum alios 43. vicibus. *Keckermannus* docet, concavum *lunæ* diſtare à terra mil-

milliaribus Germanicis 4916. Circa ejus lucem, ætates, motum notentur sequentia.

1. Semper *luna* dimidius globus à sole illuminatur, quem videlicet sol spectat: alia dimidia pars obscura manet, quam solis radij non penetrant, & quæ soli non obvertitur, nos autè semper minùs, quàm ejus medietatem illuminari videmus, etiam cùm plena est; quò autem magis creticit *luna*, eò diutiùs noctibus videtur, quia videlicet, quò magis lucet, eò magis soli opponitur.

2. Quarto die à conjunctione sua cum sole incipit *luna* nobis supra Horizontem apparere sub forma falcis, aut cornu; tanto enim tempore indiget, ut è solis radijs emergat, quibus involvebatur. *Luna* crescens cornua sua versùs Ortum projicit, decrescens versùs Occasum; & hæc prima facies crescentis *lunæ* vocatur *prima quadræ*. Sex à conjunctione diebus fit *luna dimidiata*. *Plenilunium*, cùm ferè dimidiã *lunæ* partem videmus illuminari, fit 15. à conjunctione diebus, & tunc sol à *luna* distat dimidio circulo. Est verò plena *luna* etiam pernox. A *plenilunio* statim decrescit.

3. *Luna* singulis mensibus totum Zodiacum percurrit; quando ergò à Tropico Capricorni, sive, ex signo Capricorni redit ad partè Borealem usque ad Signum Can-

Cancrī, vocatur *luna ascendens*, eò quòd ad nos iterum ascendat: quando verò à Signo, & Tropico Cancrī regreditur ad partem Australem usque ad Signum Capricorni, vocatur *luna descendens*, eò quòd iterum ad oppositam partem redeat, quæ respectu nostri est inferior. *Lunæ ascendenti, & descendenti diversissimi effectus conveniunt*, ut experientia docet.

4. *Luna* motu proprio 27. dies, & horas 13. consumit, post quos biduo adhuc opus habet, ut iterum soli jungatur, sole integrum Zodiaci Signum jam emenso &c.

3. Resol. 3. *Saturnus* est globo terreno major vicibus 91. absolvit suum motum annis 30.

Jupiter terrâ major est vicibus 95. est omnium *planetarum* maximus, excepto sole: suum motum absolvit annis 12.

Mars est terrâ major 1. suam periodum absolvit annis 2.

Venus est minor terrâ vicibus 27. Aliqui tamen dicunt, illam esse minorem terrâ 37. tenet proximum locum à sole: absolvit suam periodum diebus 365. horis 5. minutis 49. solem jam præcedit, jam subsequitur, jam omnino latet, quando videlicet radijs solaribus omnino involvitur.

Mer-

Mercurius terrâ minor est 22. vicibus: viciniſſimus terræ, exceptâ lunâ: rarò à radijs ſolaribus recedit, & ideò ejus motus ab Aſtrologis necdum eſt ſatis obſervatus: abſolvit ſuum curſum totidem, quot *Venus*, diebus. Circa alias *Planeta- rum* proprietates, præter ea, quæ ſuprà notavimus, hæc adhuc obſervanda ſunt.

4. 1. Omnes excentrici *planetarum* deſectunt ab ecliptica, & eclipticam ita interſecant, ut una pars verſus Meridiem, altera verſus Septentrionem deſlectat. Iſta verò duo puncta, circa quæ excentricus *planeta* eclipticam ſecat, vocantur *caput Draconis*, & *cauda Draconis*; punctum ergò, quò *planeta* à Meridie verſus Septentrionem aſcendit, vocatur *nodus aſcendens*, & *caput Draconis*; Septentrio enim reſpectu noſtri eſt elevatus, Meridies depreſſus, & infra pedes. Punctum verò, in quo *planeta* à Septentrione in Meridiem declinat, vocatur *nodus deſcendens*, ſive *cauda Draconis*, & luminaribus in hiſce duobus punctis conſtitutis, eclipses contingunt, ut infra dicetur.

2. *Aſpectus planetarum* eſt eorum ſitus, & mutuus reſpectus, per quem eorum vices, & influxus aut adimuntur, aut impediuntur.

3. *Conjunçtio planetarum* eſt, cùm ſub eodem

dem Signo Zodiaci reperiuntur. *Conjunctio* magna est, cum tres supremi *planetæ*, Saturnus, Jupiter, & Mars, conjunguntur.

4. *Oppositio* est, quando *planetæ* versantur sub Signis oppositis, v. g. cum sol est in Oriente, luna in Libra, & ita distant Signis 6. gradibus verò 180.

5. *Collateralis aspectus* est, quando *planetæ* lineis collateralibus se mutuò aspiciunt, estque vel *sextilis*, cum *planetæ* à se distant sextâ Zodiaci parte, hoc est, duabus partibus, v. g. si sol versetur in Ariete, luna in Geminis: vel *quadratus*, cum distant quartâ Zodiaci parte, hoc est, tribus Signis: vel *triangularis*, cum distant quatuor Zodiaci Signis. De alijs *planetarum* passionibus, & configurationibus vide Schottum in *Organo Mathem.* l. 7.

Quæstio III.

Quid sit Eclipsis Solis, & Lunæ? quid Parallaxis? & quæ Astra habeant Parallaxin?

S U M M A R I A.

1. *Eclipsium solarium natura describitur.* 2. *Lunæ eclipsis quomodo fiat, ostenditur.* 3. *Definitio parallaxis.* 4. *Sol, Jupiter, Saturnus vix ullam*

Iam habent sensibilem parallaxin, maximam verò Luna.

REsol. 1. *Eclipsis solaris est averfio radio-
rum solis, lunâ inter nostrum aspectum,
& solem positâ. Circa quam sequentia sunt
observanda.*

1. Nunquam fit *eclipsis solaris*, nisi in
conjunctiōe *solis*, & *lunæ*, sive novilu-
nio, cùm videlicet *sol*, & *luna* sunt in eo-
dem Signo, & per lineam rectam in ocu-
los nostros incidunt, quod fit, quando
luna in novilunio reperta fuerit in capite,
vel caudâ Draconis, vel propè; tunc enim
linea, ab oculo nostro egrediens, in
utrūque luminare incidit, & ideò non
quòlibet novilunio accidunt *eclipses*; quia
non in omni conjunctiōe *luna* inter so-
lem, nostrūque aspectum ponitur.

2. *Eclipsatur sol* respectu aliquarum ter-
ræ regionum aliquando totus, aliquando
ex parte tantum; si enim *luna* non omni-
no diametraliter *sol*i opponatur, non ob-
scurabit totum; si enim remotior fuerit
à terra, non tantum obscurabit, quantum,
si vicinior; quando enim corpus opacum
minus est corpore luminoso, quantò vi-
cinus est oculo, tantò plus tegit de cor-
pore luminoso: & ideò manus, oculo ad-
mota, totum *solem* subtrahit, qui tamen
infinites major est: & ratio est; quia py-
ramis

ramis viſualis, quantò magis ab objecto recedit, & oculo appropinquat, tantò eſt minor, & acutior, & ideò tantò à minori corpore impediri, & regi poteſt.

3. Dividunt Aſtologi *lunam*, & *ſolem* in 12. partes, quas *digitos* appellant (viſui enim noſtro diametri *ſolis*, & *lunæ* inſtar ſpithamæ apparent, ſpithama verò 12. digitis conſtat) & ita quantitatem *eclipſis* per digitos exprimunt; dicimus enim, *ſolem* ſex digitis obſcuratum, vel octo &c.

4. *Solaris eclipsis* eſt tantum apparens, non vera, quia nulla umbra in *ſole* efficitur, ſicut in *luna*, quando deficit.

5. *Eclipſes ſolares* incipiunt ab Occaſu, & deſinunt verſus Ortum; in principio enim *eclipſeos luna* parte ſuâ orientali primò ſtringit oram occidentalem corporis ſolaris.

6. Joannes Jonſtonus in ſua *Tavmatographia*: certum eſt, inquit, *nunquam ſolis eclipses fuiſſe, quin aliquid denotaverint*. Unde Archelaus, quò die deliquium *ſolis* fuit, Regiam clauſit, & Filium, quod in luctu moris erat, totondit. Constantino Imperatore juffu Matris Irenes, quæ imperium ambiebat, excæcato, ſeptendecim dies *ſol* latuit, velut Matris crudelitatem lugeret; tanta verò obſcuritas fuit, ut mari navigantes aberrarent. Ad annum
Chri-

Christi 592. sol in meridiem usque deliquium patitur, & secuta Phocæ tyrannis, & paulò post Mahometes nefandæ doctrinæ semina spargit. Anno 1415. 7. Julij tam horrenda solis defectio fuit, ut aves in terram prociderint, quò tempore Joannes Hufs Constantiæ combustus. Sed nulla eclipsis mirabilior, quàm quæ contigit, patiente, & moriente Christo Domino; contigit enim lunâ 14. hoc est, in plenilunio, & toto orbe terrarum conspecta est, fuitque totalis, & trihorio duravit; cum tamen eclipsis totalis non plus, quàm momento dureret, ob lunæ motum velocissimum versùs Orientem; Dionysius, eâ visâ Athenis, exclamavit: *Aut Deus natura patitur, aut mundi machina subvertetur*: &, communicato cum Philosophis consilio, aram exstruxit: *Ignoto Deo*. Relata fuit in Acta publica, teste Tertulliano in *Apologet*. sed, ne spargeretur, prohibitum. Eandem notarunt monumenta Chinensia. Meminit etiam Thalys l. 3. *Historiar*. Vide Eusebium in *Chron*. & Huetium f. 42.

2. Resol. 2. *Eclipsis lunæ* fit tantum in oppositione solis, de qua hæc veniunt notanda.

1. Quamvis singulis mensibus fiat oppositio lunæ, non tamen eclipsis; quia, ut luna obscuretur, non quævis oppositio

T

suf-

sufficit, sed tantum sub ecliptica, vel prope eam, ita, ut inter *lunam*, & *solem* terra interponatur, ex cujus umbra *eclipsis* oritur; quantumvis enim *sol luna* opponatur, si terra non interveniat, & ita *solis* in *lunam* irradiatio non impediatur, nunquam *luna* obscurabitur.

2. Quando *luna* in plenilunio conum umbræ terræ (cū enim terra sit minor sole, umbram pyramidaliter jacet) ex opposito *solis* ingreditur, *eclipsin*, & deliquium patitur: quodsi tota umbram terræ ingreditur, *eclipsis* erit *totalis*; si tantum aliquā sui parte, *eclipsis* erit *partialis*: semper tamen, & ubique locorum *luna* eodem modo eclipsatur; quia videlicet *eclipsis luna* est vera, & realis, ipsique *luna* *intrinseca*, non verò tantum *extrinseca*, & apparens.

3. Fieri potest, ut una *eclipsis totalis* diutius dureret, quàm alia, etiam *totalis*; quia videlicet *luna* quò est terræ vicinior, eò latiore partem umbræ conicæ ingreditur, & ita diutius in ea hæret: cū verò *luna* est à terra remotior, arctiorem, & brevior partem umbræ conum ingreditur; cū enim terra sit sole multò minor, umbram in modum pyramidis jacet, cujus latera tantò minùs distant, quantò longius procedunt.

Re-

3. Resol. 3. *Parallaxis* nihil aliud est, quàm spatium, sive intervallum inter verum *astræ* locum, & apparentem; aberrat enim visus, & sæpè videtur videre *stellam* in eo loco, in quo non est.

Verus autem locus *astri* est in eo puncto *Zodiaci*, in quo terminatur linea à centro terræ per centrum *stellæ* usque ad *Zodiacum*. Apparens autem, & visibilis locus *stellæ* designatur per punctum, ad quod terminatur linea, ex oculo, sive ex superficie terræ ducta; spatium verò inter hæc duo puncta, sive locum *stellæ* verum, & apparentem, dicitur *parallaxis*.

4. Resol. 4. Quò major est distantia terræ ad *astrum* quæsitum, aut quò major est *astræ* supra Horizontem elevatio, eò minor est *parallaxis*: & ideo ex communi Astrologorum sol vix ullam (idem de Jove, & Saturno sentias ob nimiam distantiam) habet sensibilem *parallaxin*: luna verò maximam, quia terræ vicinissima, & cum terra respectu lunæ habeat sensibilem magnitudinem, imò multò sit major lunâ, multum utique refert, è centro terræ, an ex superficie videatur, in qua observantes videmus *astrâ*. Ex his de Marte, Venere, & Mercurio, an, & qualem habeant *parallaxin*? facile iudicium feres.

Quæſtio IV.

*An, & per quid Corpora cœleſtia
influunt in hæc inferiora?*

S U M M A R I A.

1. Cælum, & aſtra influunt in hæc inferiora;
2. Per motum, lucem, & calorem, 3. Aliàsque occultas influentias.

RESOL. I. Corpora cœleſtia influunt in hæc inferiora.

Ratio eſt Experientia; id enim quotidiani effectus demonſtrant; nam accellu, & reſellu ſolis quatuor anni tempora, & omnium rerum generationes formantur; loca etiam, ſoli magis ſubjecta, perfectionibus plantis abundant: in certo etiam aſpectu, & concuſlu ſiderum quædam generantur, quæ non generantur in alio: quis neſcit, quid luna in fruges, medicinas, conchylia, formicas, & iplum mare agat? quid in gemmas, & metalla? Vide S. Thomam 1. p. q. 115. a. 3. & 3. cont. Gent. c. 82. & quid aliàs in cælo agerent tot aſtra, tamque pernici motu totam terram percurrerent? Vide eundem S. Thomam in 2. diſt. 15. q. 1. a. 2. ad 3. qui etiam 1. p. q. 66. a. 3. & Quodlib. 6. a. 9. retractans,
quod

quod dixerat in libb. *Distinction.* docet, etiam *cælum* empyreum in hæc inferiora influere, quamvis non satis constet, quid illud sit?

2. Resol. 2. *Corpora cælestia* agunt in hæc inferiora per motum, lucem, & calorem, ita, ut motus sit applicatio virtutis activæ, lux verò, & calor, ex luce ortus, sint ipsa virtus operativa.

Ratio 1. *Partis* patet ab experientia, & inductione; variæ enim circulationes *cælorum* varias causant circulationes generationum, & corruptionum; circulatio enim diurna solis causat diurnam lucem, & vitam in floribus, qui sub occasum flaccescunt, & in aliquibus animalibus, quæ unam tantum diem vivunt; imò circulatio diurna solis causat circulationem operationum animalium, quæ noctu cessant succedente somno, qui est quædam corruptio vitæ animalis; circulatio diurna lunæ est causa circulationum, & æstuum maris diurnorum, qui quater quotidie contingunt, ut alia taceam; circulatio menstrua lunæ est causa motuum humidorum, quos passim in corporibus animalium, & vegetabilium experimur; circulatio annua solis quatuor anni tempestates causat, & omnes generationes, & corruptiones, quas in illis experimur, homines

etiam, & animalia, v. g. apes, formicæ &c. aliter hyeme, aliter æstate operantur: vapores etiam, venti, & aquæ alias, & alias mutationes subeunt pro diverso solis motu. Idem quoque dicendum est de motibus planetarum, eorumque circulationibus, quos dubium non est vehementer in sublunaria influere, quamvis eorum influxus non ita sint noti.

Confirmatur: Cùm omnia mixta, præsertim animata, diversas partes, humores, complexionēs, & operationes habeant, ad hanc ipsam diversitatem quam plurimum conducit motus corporum cælestium uniformis difformis: nullum enim est momentum, nulla dies, nulla hora, nullus annus alteri similis; nam quolibet momento aliæ cæli partes, alia Signa, aliæ stellæ oriuntur, & terræ applicantur, & ideo nullum momentum, nulla hora alteri similis: & quia, absoluto motu diurno primi Mobilis, stellæ tam errantes, quam fixæ non revertuntur ad idem punctum, cùm motu proprio ab Occidente in Orientem ferantur contra motum primi Mobilis, ideo necesse est, ut dies sit difformis diei, sicut dies æstatis sunt difformes diebus hyemis; & quia suam circulationem singuli planetæ, & stellæ per circulum obliquum Zodiaci diverso tempore conficiunt, ideo necesse

celle est, ut annus sit difformis anno; quamvis enim sol hoc anno primâ die Januarij in eodem sit puncto, quò anno præterito eâdem die, *planeta* tamen, *stellæ*; *fixæ* non sunt in eodem puncto, & ideò diversam *cæli* faciem, & consequenter diversum influxum operantur in sub-lunaria.

Ratio 2. *Partis*, quòd *lux*, & *calor* tam mirabiles, & varios effectus operentur, est; *tum* quia sicut *cælum* virtute continet omnia elementa; ita *lux* cœlestis omnes qualitates elementares; *tum* quia est instrumentum Intelligentiæ motricis, & cuiuslibet *fideris*; *tum* quia, quò nobilius est agens, eò paucioribus eget instrumentis: est verò *cælum* agens nobilissimum; *calor* ergò, & *lux*, per quæ *cælum* agit, non sunt utcunque considerata, sed ut qualitates agentis, & formæ perfectissimæ, & universalissimæ, à qua consequenter perfectissimum, & universalissimum agendi modum participant; nam & *calor*, qui est instrumentum animæ, seu cordis, perfectiùs, & universaliùs operatur, quàm *calor*, qui est instrumentum ignis; activitas enim, & universalitas agentis derivatur in instrumentum; ergò &c.

3. Resol. 3. Præter qualitates *lucis*, & *caloris* admittendæ sunt etiam aliæ occultæ

cælorum influentiæ, per quas *cæli* non tam alterent materiam, sed etiam verè concurrant ad productionem formæ. Et

Ratio est; *Tum* quia formæ metallorum, & gemmarum ab aliquo producuntur: sed non à seipsis; aurum enim non generat aurum, gemma gemmam; nec ab elementis: nam potius ex elementis componuntur, maxime quia mixta habent formas perfectiores, quàm sint formæ elementares; ergò generantur à *cælis*: sed non per *lucem*, & *calorem*, quæ ad intima terræ, & matrices metallicas non perveniunt, ut constat experientiâ; ergò ab occultis influentijs. *Tum* quia Polus attrahit magnetem etiam noctu, & in tenebris, nullâq; *luce*: luna quóque, cum in coitu est, quò tempore minimum habet *lucis*, aut etiam cum omnino infra nostrum Hemisphærium demersa, quando omnino terræ non lucet, vehementissimè humores in corpore humano, & æstum maris concitat; non ergò luna per solam *lucem* operatur. Vide S. Thomam 1. p. q. 67. a. 3. & *Quodlib.* 6. a. 19. & 3. cont. *Gent.* 6. 84.



Quæ

Quæstio V.

*Utrum per Astrologiam Iudicia-
riam futura contingentia pos-
sint certò prædici?*

S U M M A R I A.

1. *Aliqua ex stellis per Astrologiam naturalem prædici posse, ut certum præmittitur. 2. 3. 4. & 5. Astrologia Iudiciaria ut vana, & superstitiosa rejicitur. 6. 7. & 8. Solvuntur objectiones.*

PRænotand. Ex ijs, quæ in cælo, & stellis contingunt, per Astrologiam naturalem prædici aliqua futura posse, dubium non est; quis enim nescit, serenitatem significari, solē in ortu claro, sereno, nullisque nubibus inumbrato, aut post occasum cælo rubente? cometis prædici calamitates? Hyadibus, & Orionibus pluvias? planetarum conjunctione mutationes aeris? circulis subnigri coloris, lunam ambientibus, imbres? &c. eiusmodi enim effectus potuerunt longâ experienciâ sæpius notari, sicque similes prædici, quamvis non certò; nec enim sufficit, unius, aut alterius stellæ, & constellationis naturam, ac influxum nôsse, sed omnium stellarum (quarum sunt infinitæ ad invicem

T s

com-

combinationes, ac proportiones, & ſingulæ combinationes alios, & alios effectus habent) & diverſos terrarum ſitus, & locorum temperiem, & omnes cauſas proximas, quæ effectum impedire, aut promovere poſſunt; ſicut enim calor ſolis ſub certo *ſtellarum* aſpectu, licet ſit unus, idemque, non tamen eoſdem in vite, in pomo, in lauro, in cera, in luto effectus producit, ſed diverſiſſimos, ac ſæpè contrarios; ita & de pluvijs, fertilitate, aliſque effectibus cenſendum: eſto, ſol hodie ſerenus prodierit, quid ſi ex mari Athlantico, aut Æthiopico vapor elevetur, & ventorum vi iſthuc cum nube, & pluvijs feratur? cùm ergò infinitæ ſint cauſarum combinationes, complexiones, & vel unus ignorantia, ac defectus veritati obſtet, patet, vix ullam certitudinem prædictionibus Astrologicis eſſe poſſe, ſaltem omnibus; de aliquibus enim dubitari vix poteſt, ut de futuris eclipsibus, conjunctionibus, oppoſitionibus, ortu, occaſu, aſpectu, phaſibus lunæ &c. hæc enim à principijs immutabilibus, & neceſſarijs, ac univerſalibus pendent ex motibus *aſtrorum*, qui nequeunt impediri. Sed num etiam ea, quæ ex libero hominum arbitrio pendent, ex *ſtellis* per *Astrologiam Judiciariam* prædici poſſint, & quidem certò, ac indu-

dubitatio? magna inter veros, vanosque Astrologos concertatio est, quam hic ex instituto dirimere, operæ pretiū videtur. Sit ergo

2. *Resol. Astrologia Judiciaria, quæ futura contingentia, ea scilicet, quæ pendent ex libero arbitrio, ex stellis prædicit, velut certa, & indubitata, vana omnino, & superstitiosa est.*

Ratio est 1. *Authoritas S. Scripturæ, SS. Canonum, & Juris Civilis, ubi semper damnatur. In S. Scriptura Eccl. 8. v. 7. & Isaia 41. v. 23. & 44. v. 25. & 47. v. 13. & Jerem. 10. v. 2. ubi dicitur: Hac dicit Dominus: juxta vias Gentium nolite discere, & à signis cæli nolite metuere, quæ timent Gentes, quia leges populorum vana sunt &c. In Sacris Canonibus c. Illos Planetarios. 26. q. 2. & c. Non liceat. 26. q. 5. cujus hæc sunt verba: Non liceat Christianis tenere traditiones Gentilium, observare, vel colere elementa, aut luna, aut stellarum cursus, aut inanem signorum fallaciam &c. In Jure Civili l. Mathematicos. C. de Episcop. audient. & l. 2. C. de Malef. & Math. ubi etiam ut damnosa penitus interdicitur. Vide Bullam Sixti V. contra Astrologos: & Regulam 6. Indicis librorum prohibitorum ex Decreto Concilij Tridentini.*

Ratio est 2. *Quò magis est aliquid con-*
tin-

tingens, eò minùs eſt certum, & conſe-
 quenter eò minùs poteſt certò prænoſci:
 ſed, quæ dependent ex libera hominum
 voluntate, ſunt maximè contingentia, nec
 ullam habent cauſam neceſſariam; ergò,
 quæ dependent ex libera hominum volun-
 tate, minimè ſunt certa, & conſequenter
 certò minimè prædici poſſunt; quĩ enim
 ſciri poſſunt certò, quæ certi nihil habent?
 & ſi Astrologi adeò errant in prænotione
 eorum, quæ cauſas neceſſarias habent
 (v. g. nivibus, ventis, fertilitate &c.) ùt
 conſtat ex eorum ephemeridibus, ubi ex
 ducentis prædictionibus vix decem repe-
 rias, quæ veræ ſint; quantò magis erra-
 bunt in prænotione eorum, quæ omnino
 ſunt incerta, nec ullas habent cauſas ne-
 ceſſarias? teſti tu crederes, centies men-
 daci, & caſu tantum, aut per ſomnium vera
 dicenti? aut te nauæ committeres, quĩ
 centies in ſcopulos impegiffet, navi rarò
 incolumi, & plerumque merſa?

3 Dices: Etiam Medicina eſt ars, & qui-
 dem ſaluberrima, & tamen ſæpè ægros
 non juvat, nec ideò tamen damnatur, aut
 abjicitur; cur non idem de *Astrologia* dixe-
 ris?

Reſp. *Neg. Parit.* Ideò enim Medicina
 eſt ars, quia ſemper adhibet juvantia, quan-
 tum eſt ex parte artis, quæ certis, & in-
 falli-

fallibilibus nititur principijs: si verò æger
 haud sanatur, non ideò est, quia ars fal-
 litur, sed ideò, quia aut morbus medici-
 nam vincit, aut quia Medicus aliquid igno-
 rat: *Astrologia* verò caret principijs certæ
 veritatis, imò nititur principijs falsis; nec
 enim sequitur: *natus est sub Saturno; ergò*
tristis, & invidus erit; hoc enim multò ma-
 gis pendet à parentum indole, ab edu-
 catione, ab alimentis, à temperamento
 innato, à loco, ubi habitabit, à studijs &c.
 sicut ergò malè quis concluderet: *habet*
alas; ergò volat; causa enim volatûs non
 sunt solæ alæ, ut in struthione patet; ita
 qui ex solis *astris* futura hominum præci-
 cinit, cum ex solis *astris* non pendeant;
 si non omne, quod sub certo cæli aspe-
 ctu, & sole in *Libra* v. g. existente, nasci-
 tur, est pomum, aut pyrum, aut fungus,
 quia hoc non ex solis *astris*, sed etiam ex
 seminibus, & terrâ pendet; cur omnis,
 qui sub Saturno nascitur, sit infelix, aut
 homicida futurus, cum hoc non ex solis
astris, sed æq; ex multis alijs pendeat, quæ
Astrologis non sunt perspecta, ut tem-
 peramenta, studia, institutio, ex conatu,
 virtute, gratiâ Dei? &c. *Astrologia* igitur
Judiciaria ex sua natura est fallax, quia
 falsis principijs nititur; conatur enim ve-
 rum ex falso deducere: quòd si aliquan-
 do

do verum dicit, casu fit, non vi artis, sic
ut si quis ex falsis præmissis, & in malo
syllogismo verum concludat.

Ratio est 3. Si futura contingentia;
quæ pendent à libero hominis arbitrio;
ex *stellis*, *cælique* aspectu certò prædici pos-
sunt; ergò *stellæ*, *cælique* erunt causa effe-
ctiva illorum: sed hoc est falsum; ergò
futura contingentia; quæ pendent à libe-
ro hominis arbitrio, ex *stellis*, *cælique* aspe-
ctu certò prædici non possunt. *min. prob.*
Tum quia nulla hæctenus *stella* fuit; cujus
influxu cucurbita, in horto nata; in ro-
sam, aut quercum mutaretur; quomodo
ergò mutabit rusticum, aut pastorem; in
caula natum; qualis Cyrus, & Romulus
fuere, in Reges, aut Episcopos? *Tum* quia
Jacob, & Esau, alique gemini eodem con-
ceptu, & partu nati fuerunt, moribus, stu-
dijs, fortunis, ac morte dissimillimi, & ta-
men eodem *cæli* aspectu editi; ergò &c.

- 4 Dices: Unum post alium fuisse natum;
quæ mora, licet nobis parva, *cælo* tamen;
quod velocissimè moveretur, maxima fuit;
sol enim unius minuti spatii conficit
8480. milliaria Belgica, hoc est horaria;
quid ergò mirum; si tantulâ morâ tantâ
fiat constellationum, & aspectuum, & con-
sequenter horoscopi mutatio? Sed

Contrà est 1. Quid enim dicent de illis,
qui

qui eodem omnino momento, ac gemini nascuntur? num uterque Pictor? uterque dives? uterque coelebs, aut conjugatus? uterque eodem letho peribit?

Contra est 2. Quia etiam idem homo non totus, eodemque momento ex utero prodit, sed prius caput, tum manus, & reliquæ partes, sibi succedentes; aliud ergo erit capiti, aliud manibus, aliud pectori fatum: & si caput à stellis gladio destinetur, pedes naufragio, manus chira-gra peribunt? quæ omnia sunt absurdissima: & si momento temporis tanta est cælo velocitas, & stellis aspectuum, ac horoscopi mutatio, quis est, rogo, Mathematicorum tam lynceis, & pernicibus oculis, qui illud punctum fatale, & figuram, ac imaginem futurorum videre, legere, notare potuerit? nemo planè paginam leget, momento tantum visam, nec fieri potest, ut momento tantum temporis, & quantum inter nativitatem Esau, & Jacob interfuit, tanta fiat immutatio, & influxus in hæc sublunaria; nec enim sol, uno tantum momento lucens, calefacit, arbores, ac metalla producit, quantum minus totam vitam humanam, & infinitas eventuum complexiones ordinat?

Contra est 3. Quia, si aliquod cæli momentum observandum est, erit illud potius,

tiùs, quò homo concipitur, non quò nā-
ſcitur; nativitas enim hominem non fa-
cit, ſed factum prodit, & ita etiam in
frugibus tempus, quò ſeruntur, non quò
naſcuntur, aut leguntur, attendimus: ſed
momentum, quò homo concipitur, Aſtro-
logis ignotum eſt, imò ignotum etiam
præciſe illud minutum nativitatis; nulla
enim matrum, aut obſetricum dicere po-
terit, quò horæ minuto, quarto, an de-
cimo, an vigefimo tertio, natus ſit infans?
& tamen unius minuti mora poteſt totum
horoscopum nimium quantum variare,
ut ipſi dicunt de duobus geminis, Eſau, &
Jacob.

Ratio eſt 4. Si futura contingentia,
quæ à libero arbitrio pendent, ex ſtellis
certò prædici poſſunt, ſequitur, omnes,
qui eòdem loco, & tempore, ac eòdem
mortis genere pereunt, ſub eodem cæli
aſpectu, & horoscopo natos eſſe: ſed
hoc eſt falſum; ergò &c. *min. prob.* In
prælio, ad Arbelam commiſſo, centies
millies homines cæſi ſunt, omnes milites,
omnes eòdem loco, omnes à Macedo-
nibus, omnes telo; unâ etiam nocte,
unòque momento, & in unius civitatis
obſidione, ſub uno Duce, ac Rege Sen-
nacherib, ab uno Angelo cæſa ſunt Aſ-
ſyriorum centum octoginta quinque mil-
lia;

lia; an hi omnes eodem die, horâ, signo, horoscopo nati? Idem dicas de illis, qui in eadem navi, uno, eodemque naufragio hausti sunt; qui ergo fieri potest, ut ex *astris*, eorumque politione vitam, mortemque Astrologus prædicat, quando, *caelo*, ac *astris* invitis, & discordibus, ijdem eventus, casusque contingunt.

¶ Dicent fortè (quid enim absurdi non dicunt?) fatum, ac horoscopum Alexandri fuisse, ut tot millia Persarum ab eo uno prælio cæderentur, & huic fato, velut potentiori, cecidisse fatum, ac horoscopum singulorum, quibus aliæ mortes debebantur, nisi fatum, ac *stella* Alexandri superâisset. Verum

Contra est 1. Si enim ita est, ergo æq̃s dicendū erit, illos trecentos, aut quadringentos homines, qui uno momento, unâque trirēmi naufragium fecere, quamvis aliâ morte perire debuissent, victos tamen esse fato illius navis, aut illius venti, aut illius undæ, quibus oppressi sunt; homo ergo ex fato navis, ventique pendet, nec pendet tantum, sed etiam vincitur, quid, rogo, absurdus? Sed

Contra est 2. Demus hoc etiam; ergo Astrologus non potest ex sola nativitate, aut horoscopo meis præcinere, quæ mihi ventura sint, nisi horoscopum, & fatum

U

illi.

illius undæ, illius navis Alexandri, illius latronis, & mille aliorum noverit, à quorum fatis meum fatum & pendet, & vinci poſteſt: quis verò eſt Aſtrophologus, qui hæc noverit? qui omni ligno, cùm cæditur, omni navi, cùm ſtruitur, omni gladio, cùm cuditur, omni Regi, aut latroni, cùm naſcitur, aſſedit, eorumque fata, ac genituras, ſtellâſque notavit, è quibus meum fatum pendet, vinciſque poſteſt? vanum ergò, falſumque eſt, poſſe genus mortis ab Aſtrophologo prævideri, v. g. an Alexander veneno periturus ſit? an Æſchines caſu teſtudinis, ab aquila demiffæ? an Regnum Græcorum longiùs, quàm Perſarum, duraturum ſit? &c. Cùm ergò *Aſtrophologia Judiciaria* & per ſe vana, fallâxque ſit, & homines varijs ſcleribus implicet, magiæ videlicet, contemptûs, ac negligentix divinorum, deſperationis, temeritatis &c. meritò in omnibus benè diſpoſitis Rebus publicis vetita eſt. De Tiberio Imperatore hæc habet Tacitus: *Circa Deum, & Religionem negligentior, quippe addictus Mathematica, perſuaſionisſque plenus, cuncta fato agi. & alibi: Mathematici, genus hominum potentibus inſidum, ſperantibus fallax, quod in civitate noſtra & vetabitur ſemper, & retinebitur.* Plura vide apud S. Auguſt. ſuper *Pſal. 61. & l. 2. de Doctr. Chriſt. à c. 21. &*

l. 5. de civit. S. Thom. 2. 2. q. 95. Picum Mirand. libris 12. Tullium l. 2. de Divinat. Pulchrè etiam Favorinus apud Gellium l. 14. c. 1. Aut adversa Astrologi dicunt, aut prospera? si adversa, & mentiuntur? miser fies, frustrà timendo: si adversa, & vera? priùs animo miser, quàm fato, hoc est, bis miser eris: si verò prospera nuntiant, & fallunt? miser fies, frustrà expectando: si non fallunt, & evenient? expectatio te suspensum fatigabit, & futurum gaudij fructum spes tibi jam præstolaverit.

6 *Objic. 1. Innumera sunt exempla, ac historiæ fide dignissimæ, in quibus videre est, Mathematicos futura prædixisse, quæ ex hominû libertate pendent; ergò Astrologia Judiciaria malè, tanquam vana, & superstitiosa, damnatur. Ant. prob. ab inductione. Pauca dabimus.*

1. Celeberrima est prædictio, Agrippinæ ab Astrologis facta, cùm Neronem peperisset. Natus est Nero Antij decimo octavo Calendas Januarij, oriente sole, penè ut radijs priùs, quàm terrâ contingeretur. Domitius, ejus pater, gratulantibus amicis dixisse fertur: Nihil ex se, & Agrippinâ, nisi detestabile, & malo publico nasci posse. Natalem diem, & quadratum habuit formidolosum, Mercurium videlicet in secunda domo, quam infernalem vocant, lunæ oppositum, in undecima hæ-

rentem: lunæ Plejades, & iſtæ Marti conjunctæ: animadverſo igitur *ſtellarum* curſu, duo ſimul Aſtologus prædixit, eum & regnaturum, & matrem interfecturum: quod cùm mater intellexiſſet, clamare cœpit: *Me verò occidat, dum regnet.* Domitio defuncto, Agrippina Claudio Imperatori nubit, à quo Nero adoptatus Agrippinæ precibus. Sed cùm Claudius Britannico, ex Meſſalina filio, imperiũ pararet, Agrippina venenum marito in boletis porrigit, &, Neronem à militibus acclamari Imperatorem, curat. Is matrem regnandi avidam, & impatienter filij ſcelera ferentem, ter veneno tentat, ſemel ruinâ, & naufragio, tandem, omnibus irritis, ab Aniceto Centurione feriri jubet. Ferunt, viſo ſicario, infelicem exclamâſſe: *Huc, huc, Anicete, feri hanc alvum, hanc feri, quia Neronem peperit.* Vide Tacitum, & Suetonium in *Neronem*. Sic vaticinium Aſtologi impletum eſt, qui duo, ab humana libertate pendentia, prævidit, Neronem videlicet Imperatorem electum iri, & matrem necaturum.

2. Aliud miræ prædictionis Aſtologiæ exemplum ex Socrate, Zonarâ, aliis-que habetur. Leontius, Philoſophus Athenienſis, duos filios, & filiam, Athenaidem nomine, ſuſceperat: hanc ex *aſtris* intel-

cellexerat fore Imperatori uxorem. Moriturus filios hæredes testamento instituit, filiâ præteritâ, aut, ut alij dicunt, centum aureis donatâ: querenti respondit: *Bono animo esset, feliciorẽ ipsam fratribus fore: fortunam illi, & Regnum pro hæreditate relinqui.* Mortuo patre, Athenais domo à fratribus pellitur: ipsa Constantinopolim petit, &, aditu ad Pulcheriam Imperatricem, Theodosij sororem, impetrato, causam, & injuriam exponit; tanta perorantis eloquentia, & venustas, ac gratia virginis fuit, ut & Pulcheriam ceperit, & Augusto placuerit, cui, recepto Baptismate (nam Pagana fuerat) desponsa, & matrimonio juncta est. En iterum Astrologiam futuri exploratricem!

3. Et illud memoriâ dignum est: Pico, Duci Mirandulano, cum *Astrologiam Judiciariam* duodecim libris confutasset, Lutatius Bellantius, insignis Astrologus, prædixit, fore, ut, iratis *astris*, quibus bellum movisset, vitam anno ætatis trigesimo tertio, & à Christo nato millesimo quadringentesimo, nonagesimo quarto abrumperet, quod & factum est. Hujusmodi prædictionibus historiæ abundant; ergo &c.

Resp. 1. Astrologos, ubi semel verum, millies falsum dicere. Tullius l. 2. de Divinat.

Mibi, inquit, permirum videtur, quemquam extare, qui etiamnum ijs credat, quorum prædicta quotidie videat, re, & eventis refelli. & Seneca in Apol. Oportet, Mathematicos aliquando verum dicere, qui Claudium, poſtquam Princeps factus eſt, omnibus annis, omnibus menſibus moriturum canunt. & Favorinus apud Gell. l. 14. c. 1. circa fin. Iſta tamen omnia, quæ aut temerè, aut aſtutè vera dicunt, præ cæteris, quæ mentiuntur, pars ea non eſt milleſima. Quis nescit, Julianum Apoſtatam in Perſas moviſſe, Aſtrogorum, Vatumq; promiſſis victoriam promittentibus, infeliſſimo eventu? Hebræos illos, qui Leoni Iſaurico Imperium verè prædixerunt, Arabiâ paulò antè pulſos eſſe, quòd Zitam Principem ſimili ferè promiſſione deluſiſſent? Alios quòque Aſtrogos Rhodi à Tiberio præcipites datos, qui omnia in aſtris, præter inſtantiem ſibi mortem, legebant? Quotidianæ ephemerides quot mendacijs ſcatent? ſi ergò Aſtrogis credendum eſt, quia ſemel, & rarò verum dicunt, cur potiùs credendum non erit, quia sæpè, & millies errant? an cæcus non aliquando oſtium invenit? an theſauri non aliquando à fodientibus reperti? non ideò tamen aut penes cæcos, aut penes foſſores ars theſauros inveniendi; quòd ergò Aſtrogologi verum aliquoties dicant,

caſus eſt, non ſcientia: ſicut, quòd in Pyr-
rhi Achate novem Muſæ cum inſignibus
piſtæ, in gemma Iliaca ſol, in ſelenite lu-
na, ſtellis incincta, in heliotropino qua-
tuor elementa, ſuis coloribus diſtincta;
ſicut, inquam, hæc non artis, ſed caſûs
ſunt, nec propterea dici poteſt, elemen-
tum terræ ſculpenti arte inſtructum eſſe,
quamvis aliqua pingat, & ſculpat, & ali-
quando tam affabrè, ut artem vincat; ita
non propterea rerum futurarum ſcientiam
Aſtrologi habent, quia aliquando prædi-
cunt aliqua, nam & caſu hoc fieri poteſt,
& pueris, & amentibus, & ſomniantibus
interdum hoc accidit: quia verò, quæ fal-
ſa ab Aſtrologis dicuntur, ea, velut ſo-
lita, & quotidiana, ſilentur, quæ verè,
velut rara, & inſolita, vulgantur, inde
fit, ut imperitis admirationem moveant,
& putentur ex arte, & deſtinatò fieri. Vi-
de S. Auguſt. l. 83. QQ. q. 45. Exemplum
eſt in Alexandro Severo, cui adoleſcenti,
& Virgilianas ſortes pueriliter quærenti,
verſus illi Imperium portenderunt: *Ture-
gère Imperio populos Romane memento &c.* Vi-
de S. Thomam 2. 2. q. 85. a. 8.

Reſp. 2. Diſt. Ant. Innumera ſunt exem-
pla &c. in quibus videre eſt, Mathemati-
cos futura prædixiſſe *ex aſtris, cœlique aſpe-
ctu*, Neg. Ant. futura prædixiſſe *ex animi*

paſſionibus, & operâ dæmonum, Conc. Ant.
 Negari enim haud poteſt, operam dæmo-
 num plerumque prædictionibus Astrolo-
 gicis miſceri, ut notat S. Thomas 2. 2. q. 95.
 a. 5. & S. Auguſtinus l. 5. de civit. c. 7. &
 l. 2. de Doctr. Chriſt. c. 22. & 23. *Aſtra ergo,*
 & *cæli* ab Astrologis prætexuntur, ſed præ-
 cipuæ partes dæmonis ſunt, non quod
 iſte futura prænoſcat, ſed quia, cum om-
 nium artium, ſcientiarum, cauſarumque
 naturalium peritiâ habeat, ſolertiſſimè
 omnia confert, & ita per diſcuſſum unum
 ex alio ſagaciter conjicit, colligitque: &
 cum omnibus locis, perſonis, ac negotijs
 præſens eſſe poſſit, facile ex verbis, ſi-
 gnis, factiſque, quæ facturi ſumus, præ-
 ſentit. *Deinde,* ut clientibus ſuis fidem fa-
 ciat, & videatur conſcius futuri, prius præ-
 nuntiat, tum cauſas aptat, hominèſque ur-
 get (quod facile ab obſequentibus obti-
 net) ad prænuntiatorum executionem, &
 ita ea præſcit, prædicatque, non quæ alij,
 ſed quæ ipſe facturus eſt. Unde

Ad prob. Exempla ſcilicet, & hiſtorias
 allegatas, facilis eſt Reſponſio; nam

1. Agrippinæ lethum dæmon non in
ſtellis legerat, ſed facile prævidere potuit
 in animo Agrippinæ ſuperbo, & ambi-
 tioſo, & in Neronis crudeli, inſolente,
 & Regni ſociam non paſſuro; cui enim

no-

notæ erant Claudij, Agrippinæ, & Neronis naturæ, indolēsque, quid facilius erat, quàm sic vaticinari? *Agrippina, mulier ambitiosa, Neroni filio Imperium procurabit: Claudius, homo uxorius, Agrippinæ blanditijs capietur, & Neronem adoptabit: Nero animo crudeli, & ambizioso matrem, Imperij avidam, & linguæ impotentis, è medio tollet.* Quid etiam facilius dæmoni erat, quàm tragœdiam hanc omnem parare, ut Neronis videlicet crudelitatem in Religionem Christianam armaret? quàm facile Claudium movere potuit, ut amaret Agrippinam, ut amatam duceret, ut ductam audiret? Agrippinam verò, ut maritum veneno tolleretur, milites, ut, præmijs, & spe corrupti, Neronem acclamarent, hunc, ut matrem, importunè filium castigantem, & imperandi avidam, morti addiceret? Planè hæc omnia facile persuaderi à dæmone, & præstari poterant, & consequenter facile ab eo prævideri, ut qui sciret, illos omnes & sibi, & suis cupiditatibus obsequentes esse; sicut ergò, qui statuit domum incendere, & media, ac rationes incendendæ habet, poterit domum arsuram prædicere; ita & dæmon, Neronè imperaturū, Agrippinam morituram, quorum utrūque curaturus ipse erat, nec, spectatis causis naturalibus, impediri poterat. Deum autem

hæc sæpè permittere *tum* ob hominum peccata : *tum* ut illos ipſos puniat, qui ſpes ſuas huiusmodi vaticinijs, non verò gratiæ, ac Providentiæ divini committunt : *tum* ob occultas aliquas, ſolique Deo notas rationes, docent & quotidiana experientia, & S. Auguſtinus l. 4. *Confess. c. 3.* & l. 2. *de Doctr. Chriſt. c. 22. & 23.* & 2. *de Gen. ad lit. c. 17.* & l. 2. *ad Simplic. q. 3.* & S. Thomas 2. 2. q. 172. a. 6.

2. Ad Hiſtoriam Athenaidis dico, non tam Aſtrologum in cælo, & aſtris ejus fortunam prævidiſſe, quàm in corporis, animique dotibus; ejus enim fatum ex oculis, & vultu, non ex ſtellis pendebat; quot enim cum Athenaide eodem momento, ſtellâq; natæ, non tamen eodem thoro receptæ ſunt? non ergò Athenais ideò Regina, quia ſub hoc, vel illo ſigno nata, ſed quia ſapiens, quia pulchra, quia placuit, & præſertim, quia Deo ſic viſum, ejus virtutes, ac injurias, quas à fratribus acceperat, compenſanti.

3. Picum Mirandulanum quod attinet, potuit dæmon ejus mortem prævidere, quia cauſas mortis non in ſtellis videbat, ſed in corpore latentes, & earum vim, cum medicinis, & alijs, mortem retardantibus, comparatam, eâ, quâ eſt ſagacitate, certo tempore, & annis duraturam defini-

finire, quod etiam peritus Medicus, si tam accurate morbi in corpore causas videret, dicere posset; sicut ergò peritus Bellidux potest & scire, & prædicere, quot mensibus sit commeatus militi suffecturus: ita & dæmon, quot annis calor naturalis, in quo vitæ sedes, medicinis adjutus, contra internos, externosque impetus duraturus. Multò facilius potuit Spurina Astrologus Julio Cæsari diem mortis præfagire; cum enim sexaginta conjurati essent, & in diem convocati Senatûs parricidium condixissent, quid potuit dæmonem morari, ut illorum consilia, quibus intererat, & quæ suggerebat, ignoraret? & planè mali genij artibus factum videtur, ut Cæsar, tot indicijis monitus, imò etiam oblati in libello conjuratorum nominibus, cum jam in Curiam, hoc est, ad locum supplicij iret, insidias tamen non caveret, Deo maximè id permittente, ut Cæsar videlicet, qui tot mortalium sanguine suæ ambitioni litaverat (gloriarî enim solebat, se quinquaginta prælijs undecies centena millia hominum cecidisse) ipse quoque tribus, & viginti vulneribus caderet, Romano Imperio tribus tantum annis potitus. Hoc exempli causâ memoravi, ut appareat, cur Deus permittat, dæmones aliquando vera Astrologis prædicere,

cere, nec impediat eventa, ab illis & nuntiata, & sæpe procurata.

7 *Objic. 2. Stella*, præfertim erraticæ, sive *planeta*, aliter, & aliter corpus, ac temperamentū disponunt, variâsque inclinationes animæ imprimunt; hæc enim sequitur corporis, & temperamentis sui impetum, maximè intensum, rapidūque: & quamvis inclinatio naturalis voluntatem non cogat, plerūque tamen in suas partes trahit; quotus enim est ex millibus, qui vim naturæ inferat, & non potius obsequatur? quod maximè verum est in Magnatibus, & Principibus, quibus voluntas est pro ratione; facile ergo Astrologus ex cæli, ac stellarum situ futuras hominum actiones prævidere potest: sicut, si quis navim in alto videat, procellosis, ac rapidis jactatam ventis, facile judicabit, eam, quamvis velo, clavōque instructam, illic appulsuram, quò ventis feretur.

Resp. 1. Minimam esse impressionem, quam corpus à stellis accipit; longè enim majorem à parentum sanguine, ab educatione, exemplis, studijs, cibo, potuq; &c. quàm à stellis accipit; & ideò, quamvis mille sub eodem cæli aspectu nascantur, vix duos reperias iisdem moribus, fortunâ, ac exitu pares; & demus, inclinationes, ac impetus meos naturales à stellis esse, quid de

de illis eventis dicendum erit, quæ non ex mea, sed aliorum inclinatione pendent? nec enim, ut Episcopus, ut Rex, ut victor evadam, ut felici morte defungar, ex meo tantum nutu, fatoque pendet, sed ex nutu, fatoque aliorum, & quidem non unius, aut alterius tantum, quibus & mores, & propensiones, & respectus, & facta diversissima sunt, & quorum *stellas* nunquam Astrologus vidit, nec videre potuit; qui ergo ex meis *stellis* prædicat, quæ à meis *stellis* non pendent? & quid profit mihi Jovem Infulas polliceri, si, à quibus eligendus sum, sub Marte, aut Saturno nati, avertis à me animis in alium conspirent.

Resp. 2. *Transf. Ant. Neg. Consequent.*
Quæ enim sunt illæ *stella*, in quibus futura perlegitis? quas in conceptu habui? quas in ortu? aut quas totius vitæ decursu? primas, & ultimas nunquam vidistis, mediæ non sufficiunt; qui enim possint uno illo, ac brevissimo momento, quò transvolant, tantam vim in corpus adeò remotum exerere? & si exerant, aliæ *stella*, *planeta*, ac quadraturæ, primis succedentes, multoque illis numero, ac virtute agendi potentiores, non primam illam *cali* tincturam, influxusque aut delebunt, aut mutabunt, eò ferè modo, quò aqua, mul-

to infuſa vino, aut frigus multo calore adjecto, aut character alijs, multisque characteribus inſcriptis? non ergò ex *ſtellis* corporis, animique propenſiones præſciri, & certò poſſunt, & ſi præſciantur propenſiones, non ideò tamen etiam, quæ ex aliorum propenſione, & voluntate, non noſtrâ, pendent, qualia ſunt genus, ac tempus mortis, promotiones ad dignitatem, divitiæ, favores, ac amicitia Regum &c.

- 8 Objic. 3. Poſſunt futura ex animalium motu, imò etiam ex inanimatis prænoſci; ergò etiam ex *ſtellis*, quæ aut animatæ ſunt ex ſententia quorundam Patrum, aut ſaltem ab Intelligentijs moventur. *Ant. prob.* Signum enim futuræ pluvia eſt, cùm aves pennas ſuas roſtris, aut cutem fodiant, quaſi pulices quæritantes: quando, quæ arbores incolere ſolent, ad nidos refugiant: cùm mergi, fulicæ, aliæq; aquaticæ aquis ludibundæ ſe immergunt: cùm ſolito magis ſtrepunt, clanguntque, præſertim anſeres: cùm apes alveario non exeunt, aut non procul: cùm muſcæ oculos hominum petunt, aut acriùs mordent: cùm ranæ extra ordinem coaxant: cùm feles caput, & aures anterioribus pedibus ſcalpunt, linguâ reliquum corpus lingunt: cùm boves junguntur, & ſtipantur, ſequelam-

lambunt, & caput attollunt; ergò &c.

Resp. *Dist. Ant.* Possunt futura, quæ à libera hominum voluntate pendent, ex animalium motu &c. prænosci, *Neg. Ant.* possunt futura, quæ à libera hominum voluntate non pendent, ex animalium motu &c. prænosci, *Conc. Ant. & sub eadem dist. Consequent.* Ex stellis enim (sicut ex animalium motu) futuras aëris mutationes, ac tempestates prænosci posse, dubium non est; sic enim sol, in ortu pallidus, & aqueus, pluvias portendit, in occasu ventos: cum nube obductus mergitur, pluvias: si verò occumbente statim sint pluviae, sequenti die ventus erit: sole oriente, si statim circa illum nubes conglobentur, atra erit tempestas: si verò ab ortu solis versùs occasum pellantur, serenitas: sol duplicatus, aut triplicatus visus, maximas portendit per plures dies tempestates: sic novilunia, plenilunia, & quadraturæ plerùmque aëris mutationem afferunt: lunæ dies quarta confirmat novilunium: quinta verò nautis est suspecta ob tempestates: luna quarta, & quinta totius subsequenti lunationis prænuntia: luna, à novilunio ante diem quartum non apparens, turbidum aërem toto deinceps mense portendit: luna, utrùmque cornu acutum exhibens, pluvias, uno tantum acuto, altero obtu-

tuso ventos, maximè circa eam partem;
 quâ franguntur, aut magis splendent:
 plenilunia æstatem plerùmque serenant,
 hyemem infrigidant: luna sub solis occur-
 sum ampliata, & luminosa plurium die-
 rum serenitatem: circa lunam halo indi-
 cat aquas: circa solem aère sereno pluvias,
 aère pluvio serenitatem; cùm iris in Me-
 ridie apparet, magnam vim aquarum de-
 notat, sed circa Occasum levem pluviam,
 ac tonitrua, circa vesperam ab Ortu con-
 specta, serenitatem: idem iridis color, quò
 magis viret, eò majorem inundationem,
 quò plùs rubet, vehementiores ventos;
 ex *stellis* ergò, præsertim lunâ, prælagiri
 possunt aëris tempestates, ac mutationes,
 quia istæ sunt illarum effectus: non ita
 in moribus, & actionibus hominum libe-
 ris, quæq; non à tot *stellis*, sed aliunde
 pendent.



TRA.